

Act. 15.

72

DE
OBLIGATIONE RVSTICORVM
AD OPERAS PER PRAESCRIPIONEM
ACQVIRENTA VEL TOLLENDA

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO
IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE
ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

A. D. XXX. MART. CICIOCCCLXVIII

H. L. Q. C

COLLOQVIVM CVM ERVDITIS HABEBIT

A V C T O R

HENRICVS GOTTHELF SACHSE

LENGEFELDA - MISNICVS

L I P S I A E

EX- OFFICINA LANGENHEMIA

HENRICAE GOTTHELF SCHAEFER
LONDINIENSIS MDCCLXVII
AUGUSTI
CORPORATIONE RYTHMOCRUM
ACQUARIENSIA AVIT LONINA
TITULI
SILENTIA
HOTELOPINHO SEGREO
ALLEGORICO-SCENICO-DRAMATICO
LIBER
COPERTINAE
MARTINUS CICERO
ALLEGORICO-SCENICO-DRAMATICO
LIBER
COPERTINAE
MARTINUS CICERO
ALLEGORICO-SCENICO-DRAMATICO
LIBER

VIRIS ILLVSTIBVS
CONSULTISSIMO AMPLISSIMIS
GODOFREDO FERDINANDO
LINDEMANNO
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DVCIS SAXONIAE
ELECTORIS IN CAVSSIS AVLAE AC IVSTITIAE
VERO CONSILIARIO

ANDREAE GODOFREDO
LAVENTIO BAUDIS
SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS IN EQVITATV
LOCVM CENTVRIONIS COHORTIS BRENKENHOFIANAE
TENENTI DYNASTAE CLIENTELARVM
RAVENSTEIN LENGEFELD ET REIFLAND

JOHANNI GEORG. KIRCHHAHN
SER. ELECT. SAX. PRAEFECTVRAE ADMINISTRATORI
DYNASTAE PAGORVM WVNSCHENDORF
ET STOLZENHAYN

PATRONIS AC FAVORIBVS
AETATEM COLENDIS

LIBELLVM ACADEMICVM
ET DOCTRINAE EXIGVAE PRIMITIAS
PIETATIS ET OBSERVANTIAE SEMPITERNAE
MONIMENTVM
VETERI RITV CONSECRAT
SE QVE SVA QVE STVDIA
VELINT IN POSTERV M
PATROCINIO ET BENEVOLENTIA SVA
TVERI PROMOVERE ORNARE
VEHEMENTER ATQVE OBSERVANTISSIME

ROGAT

HENRICVS GOTTHELFF SACHSE.

DE OPERIS IN VNIVERSVM

Operas ait Paullus esse diurnum officium. cap. I D. de Operis libert. Quod quo sensu dictum sit quamque vim habeat, cap. 3. 15. 19. 20. et 23. eod. iure consulti exposuerunt. Sed operas libertatis caussa impositas, quae peti iure Romano poterant et a multitudoine libertorum praestari solebant, non omnia rusticorum hodierna officia definitio ea complectitur. Nam operarum hodie a rusticis edendarum tanta varietas est, vt alia magis horaria, nocturna, annalia officia, quani diurna videantur. Exemplo fint nocturnae excubiae, iter paucarum horarum, et annalia liberorum a subditis genitorum exigi locis plerisque solita famulitia. Igitur operaе rusticorum sunt officia dominis praestanda siue, si malis, seruitia, in praedii, quod dominicum olim fuit, utilitatem. Operas personae debitas consulto omittimus, cum rarissimae sint, earumque vel temporaria tantum obligatio, vel certe ultra viius alteriusue hominis vitam non duratura. Neque de angariis et parangariis aliis ue operarum generibus, quae Principi

aut rei publicae debentur, sermones facere praesentis instituti ratio fert. Dominos enim non intelligo, penes quos summum imperium sit aut certe iuris dicundi potestas, sed qui praedium tale possideant, quali petitio operarum a casarum et praediolorum quorundam possessoribus, interdum etiam inquilinis eorum, diuersis modis et temporibus debitaram inhaerent. Cuius modi prædia fere illa esse, ad quae olim rusticæ casae ac prædiola tanquam pars seruorum culturae tradita pertinuerint, nemo hodie dubitat: E N G A V *Elem. Iur. German.* L. I. tit. IV. §. LXI. sq. suntque adeo eae operae rusticæ reuera libertatis traditique in prædiolo iuris cauſa impositae. Quorsum etiam illi respexerunt, qui Germanicum nomen *Frohdienſte* scripsere deriuatum a sacro, quasi sacrae libertatis, quae per manumissionem contigerit, remunerationem dicas. I V S P R O V I N C . S A X . Lit. I. art. 53. et L. III. art. 56. C A R P Z O V Lib. I. K e ſ p . LIII. n. 4. vid. tamen W A C H T E R . *Glossar.* voc. *Fron.* Itaque libertum ac manumissorem, siue dominici prædii et eius, quod liberto obuenit, vel ingenuus in libertinam conditionem accepit, possellores intercedit aliquis perpetuus nexus, plerumque ex singularibus pactis et contractibus, interdum ex solo regionis iure siue scripto siue non scripto existimandus. Operae autem e modi et temporis ratione aliisque conditionibus diuersas diuisiones recipiunt. Aliae enim iumentis, aliae manu tantum atque instrumentis et vehiculis talibus, qualibus

libus equi et boies vſus cauſſa alligari vel nequeunt vel non ſolent, eduntur, vnde vel carroperarios, *Spann dienſtſleute*, vel manoperarios *Handfroelner* natio pragmati-
corum vocauit. Deinde aliae ad certum tempus certa-
que loca reſtrictae non ſunt, aliae dierum numero pa-
cetisque locorum et temporum interuallis definiuntur.
Cf. in primis *E N G A V L. C. et P E R T S C H de Diuifione operarum.* Omnes autem, niſi aliter conuenit, praefatae ſunt, quando cunque dominus eas petit, propter ea,
quod ex eius commodo in dominici praedii utilitatem edi debent. Quodſi indeterminatae debentur, id tamen
naturali et ciuili iure cauetur, ne dominus id officium
poſcat, quod in rerum natura non eſt, vel propter bo-
nos mores eſſe non intelligitur cap. 20. et 38. D. eod.
neue eas operas, quas vel aetas recuſat, vel infirmitas
corporis non patitur, vel quae abhorrent a vita rusti-
cae iuſtituto et quibus eius propositum imminuitur,
denique ne reliquias exigat, niſi ita, ut rusticō fatis tem-
poris ad quaerendum alimentorum et veſtigialium relinqua-
tur. cap. 19. 20. et 50. D. eod. Edic̄t. El. Sax. de an. 1609. LEY-
SER. Sp. CCCCXVIII. Nec diebus dominicis feriatis
que debentur feruitia, niſi extrema necessitas ad ea po-
ſcenda dominum cogat. Caeterum diurnae operaे ab
ortu ſolis edendae ſunt ad occafum, quem ad modum
rusticis apud nos expressa lege praescribitur, *dass sie bey Aufgang der Sonnen erscheinen, und eber nicht, denn bey derselben Niedergang wieder abgeben und ihre Froehne mit Fleiß*

*Fleiss verrichten: cuiusmodi dies ab iure consultis
artificialis vocatur. Refractarios autem, qui ad
operas faciendas vocati non veniunt, cogi posse, et
civilibus remediis, veluti multa, pignoribus, carcere coer-
ceri notissimum est. Ad restitutionem quoque damni
intermissis operis dati petente domino condemnantur.
Audiendi tamen sunt, qui legitima impedimenta alias ue-
iustas exceptiones allegant. Vbi hac tantum cautione
opus, ne qui ipse praestare operas indictas non potuit,
si morbus v. g. aut aetas vitium erat, eum omni earum
edendarum obligatione, velut apud Romanos libertum,
citra singularem coniunctionem opido solutum arbitre-
mur. Nam cum operarum praestatio plerumque ad
onera fundi pertineat, consequens est, ut agri possessor
aegrotus aut lege pacto ve non liberatus senex debeat
per idoneum substitutum eas facere; idque eo magis, quo
magis idem ordinarie et sanis corpore que valentibus no-
bilibus que aut aliis honestioribus, qui praedia obno-
xia seruitiis rusticis possideant, et contra quorum digni-
tatem sit horum laborum perfunctio, licet. cf. s T R V-
B E N. de Iure Villicor. cap. V. §. 6. Quamquam quod de sene-
atque aegroto dixi, consuetudine passim et pactis muta-
tum, atque in vniuersum cum hoc temperamento acci-
piendum est, ne plus ab iis petatur, quam saluis alimen-
tis facere possint. Sed nolo in praesenti plura persequi,
quae de operis rusticorum in vniuersum dici mereantur.
Tractauere hoc argumentum ex instituto BECHMAN-*

NVS

NVS (de iure operarum) LEYSERVVS (Iure Georgico)
 GOEBELIVS (de Iure et Iudicis rusticorum) STRV-
 BENIVS (de Iure Villicorum) KLINGNERVS (Dorf
 und Bauren-Recht) BILDERBECKIVS (Dorf und Land-Recht)
 BVRIVS Comm. ad Schilteri Inst. Iur. Feud.) ENGEL-
 BRECHT (de Operis rusticorum) POTGIESSER (de
Statu Seruorum in Germania) aliique permulti, ne quod
 CARPZOVIVS (Defin for. et Resp.) BERLICHIVS (concl. pract.)
 SCHEPLITIVS ad Consuetud. Brandenburg. P. II. tit. ii.
 illi que omnes, qui vel singularium prouinciarum iura ex-
 posuerunt, vel Germanici iuris elementa scripserunt, aut
 egerint de eo aut obseruauerint, iam commemorem. Suffi-
 ciat tribus verbis notare, quemadmodum suis ordinarie iu-
 mentis instrumentis que rustici ad operas edendas vti de-
 beant: BERGER Oecon. Iur. Lib. I. Tit. VII. n. 6. sic ipsorum
 etiam vietu eas praestari oportere. ENGAVL. I. Aliud
 tamen saepe consuetudine aut pactionibus introductum.
 Tum quoque vietus a domino praebendi ratio plerumque
 pacti legibus definita, quod vbi in electorali Saxonie factum
 non est, Decisio 33. assignat equis dimidium auenae mo-
 dium, (*ein halb Maas Haber fuer die Pferde,*) et rusticō duas
 libras farris cum caseis tribus. Vendipræterea et locari ex-
 traneo operaे istae non possunt, nisi cum praedio, cui
 debentur. In vniuersum autem videtur sumi debere,
 rusticī praedii possessorem ad eas faciendas obligatum
 esse, donec contrarium demonstretur, quod multis ar-
 gumentis approbavit ESTOR diff. de præsumptione con-

*tra rusticos in causis operarum harum que redemtione li-
cita, quanquam non ignoramus quae contra disputauit
doctissimis rationibus venerandus senex IOH. LEON-
HARDVS HAVSCHILD de Praesumptione Libertatis
rusticorum, cuius quidem sententia in his terris vnu ser-
uatur ipsis que legibus publice propositis sustinetur. Sed
vide, quae habet BOEHMERVS de Imperfecta libertate
rusticorum in Germania et adde, si placet, REINEG-
CIVM de Rustico quondam seruo.*

IVS EXIGENDI OPERAS LONGI TEMPORIS VSV ACQVIRITVR

Et si vero operas in ipso manumissionis contractu
a libertis promissas et a dominis tanquam partem domi-
nicae potestatis seruatas esse inter omnes constat; (vid.
exemplum recentius apud MEINDERS. de Iurisdictione
colonaria.) nolim tamen eas vbius pro argumento pristi-
nae seruitutis habere. Non defuere nec hodie defunt aliae
causae, ob quas aut promitti solent aut edi debent, cum alias
publica lex imponat, ut quae in Saxonia ad aedificium do-
mini extruendum vel reparandum necessariae sunt: vid.
Ord. Provinc. dea. 1755. et Dec. 33. cf. FRITSCH de Pal-
atio dominico: ad alias promittendas religio aut spes praemii
consequendi ingenuos etiam homines impulisse videatur.
In primis frequens earum acquirendarum atque amitten-
darum

darum modus praescriptio, de quo, quantum angusta
 temporis ratio et exiguae vires finiunt, paucis in praes-
 senti exponere animus est. Ecquis vero dubitet, cum
 omnia iura longi temporis vsu ordinarie acquiri possint,
 operis etiam in posterum fruiturum esse, qui per tempus
 lege definitum eas exegerit, cui que eas pro iure po-
 scenti per totidem annos a petitionis atque editionis ini-
 tio connumerandas illae praestitae sint? Dudum enim
 explosa est illorum sententia, qui aliqua veterum iure
 consultorum in Pandectis fragmenta male interpretati
 eius, denum temporis vsu ius in alienis rebus acquiri
 voluerunt, quod et hominum memoriam excedat, et
 cuius initium neque vlli testes meminerint, neque lapi-
 des indicent, alia ve referant instrumenta. vid. L E Y S E R,
 Sp. CCCCLX. Etenim compertum habemus exploratum
 que, vetustatis vocabulo et temporis, quod excedat ho-
 minum memoriam, iure consultos Romanos hoc ipsum
 tempus longum descripsisse, quod Iustiniani legibus re-
 rum mobilium vsu capiendarum causa triennio, at si
 fundorum rerum que soli possessioni dominium velis ad-
 dicere, decem inter praesentes, viginti annorum inter
 absentes intervallo, denique ut in personam actionem
 nactus esse dicaris, illius praescribere possis, lapsu tri-
 ginta annorum absolutur, vid. C O N R A D I *Historia vsu*
capiendum. Quem ad modum igitur vsusfruimus et iura
 praediorum decennali usi per leges Romanas acquiri
 possunt, nec praescribenti exceptio malae fidei aut iussi
 quia

XII

tituli deficientis oppóni debet, cum patientia possessoris praedii serui pro titulo sit, neque mala fides eius argui queat, qui altero non inuito conditionem suam meliorem reddidit, atque aliquam partem dominii in re aliena exercuit: CONRADI l.l. et BEYERVS Posit. ad Inst. et P. sic, vbi iure Romano viiuitur, ad seruitutis similitudinem ius operarum etiam decem vel viginti annorum quasi possessione quisque nanciscitur, id que eo minus dubitacionis habet, quo magis et obligatio eas praestandi et exigendi ius praediis ordinarie inhaeret harum que conditionem vel auget vel minuit. Quod si tanquam tales, quales personae a persona debeantur, indictae factae que sint, quin triginta demum annorum vsu ius acquiratur, non ambigendum esse videtur. Sed rarior ea species, quam vt ita factum esse credatur citra manifestam probationem. Caeterum in magna parte Germaniae vetus populi mos seruatur, neque decem annorum continua-
tione, sed triginta demum et viius annorum, praeter ea sex hebdomadum et dierum trium possessione fundorum dominium aliarum que rerum et iurium, quae vel comparantur praediis vel insunt, acquiritur. vid. R I C C I V S de *Praescriptione German.* Vbi eiusdem temporis exactione ad operas in posterum iure poscendas opus esse apparet. Nec actionem eius, qui operas per totidem continuos annos pétitas esse et praefitas dicat, exceptio malae fidei aut iusti tituli deficientis excludet. At si rusticos vi ad eas faciendas coégitse vel precibus commo-
dum
uisse

uisse doceri possit, possessionis vitio summovebitur. Par
ratione et ii, qui liberam rerum suarum administranda-
rum facultatem non habent, et contra quos haec tem-
pora praescribi non possunt, singulari quisque iure, quod
in eius utilitatem constitutum sit, in hoc operarum iudi-
cio perfruentur.

OBLIGATIO OPERARVM FACIENDARVM
LONGI TEMPORIS PRAESCRIPTIO
ALIQVANDO NON SOLVITVR

Naturale quidem est, obligationem quamuis solui
codem modo, quo colligata sit, ideoque, quod vſu longi
temporis acquiratur, codem vſu per totidem annos in-
termisso amitti. Videamus tamen, an ea regula fallat in spe-
cie operarum. Sane affirmare licet, earum exactioni praes-
cripti non posse, etiamſi praedii seruientis professor se
longo vel longissimo tempore nullas praestitisse ostendat.
Neque enim ius aliquid faciendi vel poscendi vſu
intermisso expirat, si vel dominus occasione eo vtendi
interea temporis destitutus fit, vel alter exercitio eius
vel petitioni non contradixerit. Siue denique leges ci-
tiales praescriptionem prohibeant, siue pacto dominus
ſibi prospexerit ne ius suum ullo tempore certo per-
ire deberet, sed vt eo ad arbitrium suum et vti posset et
non vti, his omnibus casibus vſucapio et praescriptio

locum habere nequeunt. Ecquis vero dominum neget, qui hanc legem manumissionis scripsit, vt liberti et qui deinceps istorum praediola possiderent, sibi et successoribus suis operas praestarent, earum exigendarum ius suo arbitrio suae que cognitioni, vtrum et quando necessariae vtilest futurae sint, omnino seruasse. Quod si igitur accidat, vt hoc vel illo debitarum operarum genere per longi temporis spatium sibi aut non opus aut non profuturum esse iudicet, nonne vehementer iniquum foret, eum negligentiae causa punire, qui nihil sui iuris neglexerit. In alia omnia subditi consensere eorumque consensus omnes obligat, qui praedium cum hoc onere deinceps possidere incipiunt. Si quod igitur genus operarum dominus hucusque exegit, aliud non exegit, iam satis est, eum non omnem sui iuris vsum intermississe, et caeteros quoque, quandocunque libuerit, recte petet, nisi subditi validis argumentis ostendant, omnem actionem eius peremptam esse. Per partem enim ius non amittitur, vt lex 18. ff. de seruit. praed. rust. clare demonstrat, et maxime audiendus est dominus, qui animum retinendi exatis nonnullis operis declaravit. Fac vero, nihil etiam operarum a longo inde vel longissimo tempore esse indicatum, neque vivere hominem quemquam, qui aut petitionis aut praestationis casum meminerit. Nihilominus ille ne tunc quidem suo iure excidisse dicetur, cum mere in eius facultate atque arbitrio possumus fuerit debitas sibi operas exigere vel et, an nolle.

ME VIVS P. IV.
Dec.

Dec. I. n. 3. cf. COCCIVS de rebus merae facultatis,
et ill. HOMMEL. Rhaps. obf. 33. Etenim AVGVSTINO
LEYSE RO promissarum operarum petitionem vnice ab
arbitrio domini pendere neganti adeoque vnu per lon-
gissimum tempus intermissio earum exigendarum ius sta-
tuenti dominum amississe satisfecit opinor BVRIVS l. l.
p. 735. sq. Atque haec regula tum maxime locum tue-
bitur, si operis vtendi occasione dominus per longis-
simum tempus fuerit destitutus. Itaque, si Lucius Ti-
tius duo possedit nobilia praedia Tusculanum et Auen-
tinum, atque in illo, dum viueret, commoratus est, hu-
iusque aedificium non curauit, successori Auentinum
inhabitanti operas ad praetorium vel exstruendum vel re-
parandum subditi profecto frustra denegaturi essent
praetextu multorum annorum, per quos eos Lucius Ti-
tius non exegerit. Cum enim, etiamsi per benevolen-
tiā erga subditos petiae non essent, ius eas petendi
expirasse haud diceretur multo magis prae scriptio lon-
gissimi temporis replica, nisi nulla vtendi occasio fue-
rit, elidetur.

§. IV.

OBLIGATIO OPERARVM PRAESTANDARVM CONTRARIO LEGITIMI TEMPORIS VSV EXTINCTA.

Sed quicquid eius rei sit, possunt etiam rustici
immunitatem ab operis longi aut, vbi locorum in Ger-
mania

mania decennii praescriptio locum non habet, longissimi temporis exceptione tueri. Quemadmodum enim non nunquam euenit, vt ad eas operas faciendas, quas precibus dominorum moti olim vltro ediderint, si eas tanquam iure petitas praestare posthac non recusauerint, rustici tandem accedente longi temporis vsu per iudicis sententiam condemnentur, sic saepe voluntaria exactio dilatio, si petitioni deinceps subditi contradicant, atque in ea illorum voluntate vel peruicacia dominus acquiescat, acquirendae vel potius recuperandae libertatis praebet materiam. Nempe quod de rebus merae facultatis in vniuersum traditur, desinere eas meri arbitrii esse, simul ista vel faciendi vel non faciendi libertas adimatur vel minuatur, illud vtique habet hanc vim, vt et operarum petitioni praescriptio iusti temporis a rusticorum contradictione coepi opponi poscit. Atque haec fententia fori vsu confirmatur, in eamque iure consulti Witebergenses referente WERNHERO P. I. obs. 76. dilucide responderunt : *Gestalt die praescriptio contra operas nicht anders ihren Anfang nimmt, als wenn die Dienste derer Unterthanen angesagt worden und der Gerichts-Herr bey ihrer Verweigerung acquiescirt.* Neque expressa dissensione opus est verbis que, quibus libertatis exceptio allegetur ; sed sufficit operas indicias non praestitisse, adeo que constantem per legitimum tempus afferendae immunitatis usum habuisse. Videndum tamen, quales operas indexerit dominus et rustici facere recusauerint,

Quan-

quamquam enim posuisse non poenitet, dominum, qui certum genus operarum longissimo tempore petierit, aliud non poposcerit, nihilominus plenum omnium ius et animo et factis retinuisse, cum satis vtedi voluntatem declarauerit, neque omnium intermissa petitio de eius iure sola detrahere potuisset: inde tamen nequam efficitar, vt rustici a specie operarum, quas domino poscenti denegauerunt, illo quidem acquiescente liberati plenam quoque a cæteris non petitis immunitatem sint assediti. Sed debet vtique locum tueri pragmaticorum regula: Tantum praescriptum, quantum possellum. Quodsi petenti domino vnius generis seruitia, se nulla omnino debere responderint, isque in ea responsione acquierit, neque confessoriam actionem ante legitimi temporis lapsum intenderit, quin postea immunitatem ab omnibus tuituri sint, dubio caret. De tempore autem vsu capienda libertatis non opus est dicere, cum plane repetenda sint, quae supra de ea rede que iusto titulo bonaque fide non exigenda perscripsimus. Iuuat tamen hoc adiicere, quod multi aiunt, Recessu Imp. de ann. 1654. §: *So viel nun die Capitalia, belli tempore praescriptionem dormire, vid. S R Y C K. annot.* ad Lauterbach. id sine speciali lege, qualis nec in his terris, nec vllibi, quod sciam, in Germania sancta est, non in vniuersum valere. Ita enim Imperii lex de tricennalis tantum belli temporibus agit. cf. ill. H O M M E L. l. l. Obs. rog.

DE EXCEPTIONE OPERARVM LONGO
VEL LONGISSIMO TEMPORE
REDEMTARVM.

Maxima adhuc inter Doctores est controv ersia, an domino ab inuitis subditis operarum loco certum pretium possit exigere? Nobis quidem negantium sententia verior esse videtur, cum nemo ad aliud pro alio soluendum magis, quam creditor ad accipiendo ordinarie cogi debeat. Quid vero? si alias operaे domino plane profuturae non essent? Hoc quidem casu per multi redemtionis necessitatem subditis imponendam esse contendunt. Profitentur hoc iure consulti Vitebergen ses apvd WERNHERVM P. V. Obs. 28. *Ob wohl bewährter Rechts-Gelehrten Meynung nach auf den Fall, da der Gerichts-Herr wegen Entlegenheit des Orts die Dienste nicht gebrauchen könnte, die Unterthanen ein gewisses Geld dafür abzustatten schuldig, etc.* vid. inpr. STRUBEN l. l. cap. V. §. 20. ESTOR, diss. comm. GROLLMANN *de mutatione operarum.* Sed nihil ad hanc sententiam amplectendum nos mouet. Fac vero, inde a longo tempore subditos loco operarum domino pecuniam numerauisse, num dominus ad operas naturaliter praestandas eos iterum compellere poterit? Sunt, qui nulla distinctione posita id fieri posse existiment, quoniam ab arbitrio domini pendeat, velit operas exigere, an pecuniam. Igitur cum res merae facultatis nulli praescriptioni obnoxiae

xiae habeantur, consequens esse, ut dominus etiam si subditi longissimum tempus pecuniam pro operis soluerint, tamen denuo poscere operas possit. Aliis autem ea species non videtur rebus merae facultatis annumeranda. Aiunt enim, omnia iura, quae vel contractu vel privilegio acquiruntur, in eum censum neutquam venire: neque dominos pretium operarum a subditis nisi horum consensu poscere adeoque per pactum hoc fieri debuisse. Quia pactio nisi dominus mutandae voluntatis atque alterius generis eligendi facultatem sibi expresse seruauerit, creditum iri rusticos perpetuam libertatem ab operis redemissione annuo pretio, simul a primi anni solutione longum tempus effluxerit neque interim facta esse mutatio doceatur. Longi enim temporis patientiam confessionis pacti que habere vim. Quis vero haec argumenta parum firma esse haud facile intelligat. Etenim quod rusticci praeteritorum annorum operas pecunia redemerunt, ideo ne dominus in futurorum etiam redemissionem tacite consensisse dicatur? Quasi vero iudicium et prudentum esset fingere, quod leges non fingunt. Verius est, dominum pecuniam exigendo in hanc tantum conditionem consentire, ut idem pretium solvatur, nisi operas postulet. Quae alterius generis exigendi facultas tum maxime penes ipsum erit cum sibi expressa pactio eam seruauit, aut maius modo pretium operarum, modo minus, denique modo operas, modo pretium praeteritis annis exegit atque obtinuit. Nam et hoc postremo casu, non video, cur aliqui viri docti,

inter quos magnum LEYSERVVM reperio, electionem aut pretii soluendi, aut operarum praeſtandarum penes rusticos collocauerint. Neque enim, si recte iudico, magis dominus hac eligendi potestate ſe abdicaffe fингendus eſt, quam quisquam ſine legitima probatione ſuum iactaffe aut donaſſe cenſetur. Quamuis libenter largiar, eo caſu nec ſubditos ad preium loco operarum ſoluendum compelli poſſe inuitos. Quod ſi dominus operas ipſas popoſcerit, et rustici preium offerendo iſtarum petitioni contradixerint, quin illius patientia praeſcriptioni faciat locum, non ambigitur.

BREVIS ENARRATIO IVRIS SAXONICI ELECTORALIS.

Hoc iure utimur in Germania, niſi qua paęta legesque huius vel illius regionis obſiſtunt. Tantum eſſe in Saxonia noſtra libertatis fauorem, vt ab omnibus operis, quae publica lege non imperantur, donec ius domini de monſtratum ſit, rusticos immunes iudicemus, iam dixi. Ne que in eo ſubſtituit legum noſtrarum prouidentia, ſed opera rum quoque exigendarum iuri, tametsi petitioni domino rum ante longiſſimum tempus contradicturn a rusticis non ſit, praeſcriptionem nihilo minus trīginta et viii annorum hebdomadum ſex et dierum triūm opponi poſſe conſtitutum eſt Dec. nouiss. V. de an. 1746. ſi dominus faltem ter

eas

eas petendi occasionem interea temporis praetermisserit,
neque protestatione in iudicio opposita tuitus sit suum ius.
Anni vero, quos diximus, ex quo primam dominus ope-
rarum petitionem quamvis data occasione omisit, nu-
merari incipiunt. Perspicuae et sapientissimae legis,
quam adscribere iuuat, verba sunt haec: *Wenn ein Ge-
richts-Herr, oder wer sonst der Dienste berechtiget, sol-
che zu erfordern keine Gelegenheit gehabt, so mögen diesel-
ben durch den unterlassenen Gebrauch, ungeachtet inzwischen
31. Jahr, 6. Wochen und 3. Tage verlossen, nicht
praescribiret werden.* Daferne aber sich zu drey unter-
schiedenen oder mehreren mahlen Gelegenheit, sich solche
Dienste leisteu zu lassen, ereignet, und selbige gleichwohl
nicht exigiret, sondern der Dienst durch andere Personen
verrichtet, auch dabey das Befugnis, durch eine gerichtli-
che Protestation nicht vorbehalten worden, können die Un-
terthanen oder Dienst-Leuthe nachgehends, wenn von
dem ersten Actu an, da solche Dienstleistung unterblieben,
die in Rechten vorgeschriebene Zeit verlossen, sich mit der
Praescription dagegen schützen. Neque alteram, quam
de mutatione operarum et redemtione posuimus, regu-
lam in patria sequimur. Cum enim optimi Principes
intelligerent, saepe rusticos operis a domino exactis gra-
uari et ab agris suis colendis nimium reuocari, ideo-
que eam rem agriculturae publicae que utilitati per au-
ritiam dominorum quorundam obesse, consultius du-
xit prudentissimus Elector Augustus ad frequentissimas

operarum redemtiones Const. IV. Part. II. quasi regiam viam munire, et longissimi temporis praescritiōnem permettere, si rusticus eo annorum interuallo idem a domino pretium sine vla vel deminutio vel augmento nunquam non acceptum esse probare queat. Quae tamen lex pactorum contra initiorum vim legitimaque protestationis in iudicio factae facultatem, tantum abest, vt imminuerit, vt potius ex istis cautionibus ius dicendum esse vel expresse statuerit. E contrario rusticos etiam, si post illud tempus elapsum seruitia, vel operas praestare, quam pecuniam soluere malint, non audiendos esse praecepit. Si denique praeter solutionem pecuniae operas nonnullas vitra idem temporis spatium praestiterint, deinceps quoque idem vt facerent, constitutum est. Pergit autem D. Elector: Da aber das Dienstgeld innerhalb 30. Jahren Jahres und Tages nicht uniformiter gegeben, sondern bisweilen vermindert und vermehret, und auf etliche Jahre gerichtet, so wollen wir, dass in einem solchen Fall auf die Interruption gesprochen und die Bauern der Dienste dadurch nicht entledigt oder befreyet seyn sollen.

00 A 6448

ULB Halle
002 928 140

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

DE
OBLIGATIONE RVSTICORVM
 AD OPERAS PER PRAESCRIPIONEM
 ACQVIRENTA VEL TOLLENDA

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO
 IURIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
 TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE
 ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

A. D. XXX. MART. CICICCLXVIII

H. L. Q. C

COLLOQVIVM CVM ERVDITIS HABEBIT

A V C T O R

HENRICVS GOTTHELF SACHSE

LENGEFELDA - MISNICVS

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA